Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36486
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

seruet signaculum et ostendat illud in die redemptionis purum
atque sincerum et nulla ex parte mutilatum et ob id numerari cum
his ualeat qui redempti sunt. Explicit liber secundus.
Incipit liber III.

SATIS ABUNDEQUE
O PAULA ET EUTOCHIUM DE ARGUMENTO
epistole Pauli ad ephesios in primi libri prefatione disserui
et sparsim ubicumque occasio data est. licet breuiter ostendi quod beatus
apostolus ad nullam ecclesiarum tam mystice scripserit. et abscondita
a seculis reuelarit sacramenta. Hunc quoque quo orationum uestrarum et sancte
marcelle fultus auxilio. tertium id est extremum in eandem epistolam
dicto librum. iustum mihi uidetur ut nominis quoque ipsius et hemologiam
cum sensu quem supra exposui congruere doceam. Ephesus in lati
nam linguam interpretatur uoluntas siue consilium meum. In ea uel certe
anima mea. in ea uoluntas et consilium. et anima dei in eo est qui potest
dicere. ipse enim dedit mihi noticiam omnium. et cum incerta et occulta
sapientie dei illi fuerint reuelata testimonium consequitur loquen
tis. Inueni dauid de bethleem filium iesse uirum secundum cor meum. qui
faciat omnes uoluntates meas. Huiusmodi uirum Osee propheta significat
dicens. quis sapiens et intelleget hec. prudens et cognoscet ista. Porro
ut sciatis multam esse distantiam iusti simplicis. iustique sapientis. qua
lem in resurrectione mortuorum singuli gloriam consequantur attendite.
Et multi dormientium de limo terre exsurgent. hii in uitam eternam.
et hii in obprobrium et confusionem eternam. et intellegentes fulgebunt
sicut splendor firmamenti. et ex iustis multi sicut stelle in eternum.
Fulgebunt inquit iusti sicut stelle in eternum. et intellegentes id est haben
tes scientiam scripturarum sicut splendor celi. non quo doctus uir iustus
quoque esse non debeat. sed quo qui iustus est nisi fuerit eruditus tam procul
sit a sapiente iusto quam est stellarum fulgor a lumine firmamenti.
Quod si quis meditatione tantum legis instructus uitam suam neglexerit
neque audeat dicere. amandatis tuis intellexi. iste quasi eramen
tum sonans et cymbalum tinniens et infatuatum sal in stercore